

mē nati, spurii, seu vulgo quæsiti. Etenim in hisce non reperitur turpe aliquod factum. Ergo etiam nulla infamia affici poterunt: interim macula laborant, quod illorum causa, scilicet illegitima conjunctio sit turpis, jure divino & civili.

*Infamis infamia Juris planè repellitur à testimonio, l.3. ff. de Testib. l. 2. ff. de Senatorib. infamia siquidem omnem enervat fidem, nisi in casu, ubi alii testes haberi non possunt; tum quidem admittitur infamis, sed cum tormentis. Ratio autem, quare infamis repellatur à testimonio, est, quia fundamentum testimonii est fides, infamis autem fide caret, cum sit maculatus ex Juris dispositione. Marquard Freherus, l.3. c. 27. num. 1 p. 596. de Existimat. Deinde testimonium ferre est dignitas & computatur inter actus legitimos: cùm tamen ea, in quibus versatur dignitas, infamibus sint interdicta, ut & ab actibus legitimis ipsi penitus sint exclusi, & consequenter facultas ferendi testimonii ipsis sit ademta. Nepos de Monte Albano de Testib. num. 28. & seqq. pag. 5. & 6. Nellus de Testib. num. 19. p. 110. IIII. Alberic. de Maletis de Testib. part. 3. num. 3. p. 247. Farinaceus lib. 2 tit. 6. qu. 5. n. 26. 27. seqq. & fol. 64. In criminis tamen læsæ majestatis, hæresi, & delictis nocturnis, item quando infamis contra alium infamem producitur testis, potest quidem testificari, attamen non est integræ fidei. Hahn. ad Wesemb. ff. de Testib. num. 3. p. 71. Ita Judæus non potest esse testis contra Christianum, sed contra Judæum validè potest testificari: pro Christiano tamen rectè testimonium præbet. Campeg. de Testib. reg. 46. p. 921. Judæi enim habentur pro infamibus, Marquard. Freher. l.3. c. 19. p. 516. de Existimat. Crotus de Testibus part. 4. num. 37. p. 485.*

*Infamis infamia facti in civilibus quidem quadammodo, non vero in criminalibus ad testimonii dictioñem admitti potest, nisi in casu, quo aliter veritas haberi nequeat: ubi tamen, quando admissi sunt, plenam probationem non faciunt, sed saltem indicium & præsumptionem. Campadius de Testibus. reg. 31. fall. 3. p. 618. Vide Crotum part. 3. de Testis. num. 30. & seqq. p. 456. Farinaceus l. 2. tit. 6. qu. 56. num. 120. & seqq. p. 73. Nec potest in matrimonialibus infamis esse testis. Hahn. ad Wesemb. ff. de Testibus num. 3. fol. 71. Eleganter hæc omnia persecutus est Marquard Freherus l.3. c. 27. per tot. p. 595. & seqq. Qui levi macula laborat, ejus testimonium attenuatur, quoniam viibus computatur personis. Huc pertinent quoque Perjuri, falsi testimonii convicti, publico Judicio damnati ob adulterium, vel repetundas, l.18. ff. de Testib. l. 15. ff. cod. Et qui ob car-*